

Franciscus Praetorius

## **De Praestantia, Authoritate Et Dignitate Artis Musices, Oratio**

Rostochii: Reusnerus, 1603

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729071537>

Druck Freier  Zugang



Fr. Praetorius.  
R. U. phil. 1603.



DE  
PRÆSTANTIA,  
AVTHORITATE  
ET DIGNITATE AR-  
TIS MUSICES,  
ORATIO,

*Conscripta*

à

FRANCISCO PRÆTORIO  
Dannenbergenſi.

*Lutherus in Epistola ad Senſelium  
Muſicum.*

Scimus Muſicam Dæmonibus etiam inviſam &  
intolerabilem eſſe. Et planè judico, nec pu-  
det aſſerere, poſt Theologiam eſſe nullam  
artem, quæ poſſit Muſicæ æquari. Nam ipſa  
ſola, poſt Theologiam, id præſtat, quod alio-  
qui ſola Theologia præſtat, ſcilicet quietum  
& lætūm animum, &c.

ROSTOCHII

*Excudebat Chriſtophorus Reuſnerus*

ANNO M. D. C. III.



ORNATISSIMIS, INTEGERRI-  
mis, Virtute & prudentiâ præstan-  
tissimis Viris,

DNIS. CONSVLIBVS  
ET SENATORIBVS REIPVB.  
LEONTINÆ;

*Dominis, Patronis & Fautoribus suis  
unicè colendis,*

In perpetuum honoris, gratitudinis, amo-  
ris *μνημόσων*, hanc DE ARTE MV-  
SICES ORATIVNCVLAM, eâ, quâ  
par est, submissione offerre, consecra-  
re, dicare voluit.

*Franciscus Pratorius, Scholæ  
Leontinæ Cantor*



27

Um quilibet illa libenter & crebro loquitur, quibus oblectatur, & quam quisque tractat artem, in eâ præsertim utroq̄s, ut ajunt, pollice laudanda ac cæteris præferenda plurimum est occupatus; & me, Viri præstantes, operæ pretium facturum arbitror, si in officio Cantoratus mei, ad quod per Dei providentiam vocatus, quædam de cantu Musico in medium sim allaturus. Nam ut arator narrat de bobus, navita de ventis, pastor oves numerat, miles vulnera; ita me de re Musicâ, circa quam versor, oportere loqui, consultissimum mihi fore judico. Quod dum facio, duæ res potissimum animum meum perculerunt, & ab hoc dicendi genere ferè abstraxerunt, videlicet, res & ingenium meum: Rei quidem, de quâ dicturus sum, magnificentiam & nobilitatem viros videbam requirere auctoritate graves, ingenio promptos, eloquio insignes, qui præclaro acumine præditi, suavissimo dicendi flumine abundantes, rem tantam eximiâ oratione verborumq; luminibus stiparent, stipatam prudenter explicarent, explicatam cum dignitate proponerent. Ingenium autem meum, tum ad accuratè inveniendum, tum ad subtiliter disponendum & judicandum, minimè aptum intelligebam. Itaq; ingens timor animum occupabat meum, ne in crimen ineptiæ aut stultæ audaciæ vocarer, quod ego in dicendo parum exercitatus, id alijs quasi ereptum explicare.

sufcepiffem, quod Oratoris difertiffimi requirebat copias

Sed quia veftra, auditores, mihi fingularis humanitas cognita, eruditio in fignis perfefcta, candor eximius minimè dubius eft, in iftis virtutibus veftris, tam præclaris atq; egregijs, acquiefcendum, atq; in caput causæ invadendum potius exiftimabam, quam ut longis ambagibus vos detinerem, & verborum lenocinijs aures veftras demulcerem. Dicam autem de artis Muficæ præftantiâ, eamq; pro ingenij mei viribus commendabo. Vos quæfo, me, pro veftrâ humanitate, patientiffimis atq; æquiffimis auribus audire non gravemini.

Atq; ut hinc exordiar, Mufica non primum ab Amphione, quemadmodum poëtæ fabulantur, nec à Pythagorâ primum prodita, fed à mundi initio hominum mentibus infita, illustrata ab Amphione, ut Plinius fcribit, & à Pythagorâ & reliquis, quæ jam antea infufa erat, divulgata fuit: Hanc Mufæus, qui multum in eâ præftitit, & vivens Theologorum, fapientiffimus fuit habitus, & post mortem in beatorum fedes ac domicilia putatur translatus, plurimum excoluit, de quo ita Virgilius:

*Mufæum ante omnes, medium nam plurima turba*

*Hunc habet, atq; humeris extantem fufcipit altis:*

Hanc Orpheus magno ornatu decoravit, qui, cum homines in agris paffim beftiarum more, vagarentur, & fibi victu ferino vitam propagarent, nec ratione animi quicquam, fed pleraq; corporis viribus adminiftrarent, illos confono quodam motu compulfit, in unum locum congregavit, atq; ex feris & immanibus mites reddidit & manfuetos: hanc

Linus

29

Linus alijs artibus prætulit, qui propter excellentem  
artis Musicæ scientiam, Apollinis filius existimatur.  
Eandem Regius Propheta David, Moses & totus  
Dei populus in pretio habuerunt: Eandem Mega-  
lander Lutherus proximum dignitatis locum post  
Theologiam obtinere affirmat, quòd ministra hujus  
sit, & ad conservandam doctrinæ puritatem non  
parum conferat: Eandem deniq; nonnulli Reges &  
Principes nostrâ ætate plurimum colunt; quorum  
quidam magnis eam sumptibus adhuc fovent. O  
magnam hujus artis præstantiam, à tam magnis viris  
in pretio habitam! Socrates eam in senectute didicit:  
Plato civili viro non tantum utilem, sed etiam  
necessariam Musicam credidit: Lycurgus Legisla-  
tor Lacedæmoniorum, rei bellicæ studium cum Mu-  
sices studio conjunxit. Alexander cum trajecto  
Helles ponto jam terræ appulisset, & res gestas veterum  
animo revolveret: quidam, si vellet, pollicitus  
est, se Paridis lyram daturum; Cui Alexander, mini-  
mè inquit, illà opus est mihi, cum Achillis lyram ha-  
beam, quâ strenuus ille vir laudes virorum fortium  
decantare solebat. Achilles dux, apud Homerum,  
ut facilius concoqueret bilem, quâ adversus Aga-  
memnonem flagrabat, cithara utitur, ejusq; dulcedi-  
ne animi molestias discutit Sic de pythagorâ Samio  
cōmemorat Plutarchus, eum pacando sedandoq; ab  
affectibus & perturbatiōib. vehemētioribus animo,  
musicam adhibere solitum fuisse: quem & invento-  
rem hujus, philosophorum potior pars constituit,  
quod instinctu fabricarum cadentium, sonis ipsis &  
corporibus sonantibus proportionem esse didicit,  
& suam cuiq; consonantiæ proportionem eliciens,



totam postremò artem in numeris sonorum consummavit. Neq; solummodo in Ethnicorum scriptis ejusmodi elogia, musices præstantiam nobis commendantia, continentur: verum etiam Sacræ literæ, quæ divinitus à Deo hominum generi sunt traditæ, honorificum arti huic exhibent testimonium, & ejusdem præstantiam, quam præbet in Ecclesia & pijs cœtibus maximam, de notâ, quod dicitur, meliore commendant, omniumq; oculis & animis prolixè exponunt. Nam eam rem esse divinam, inde patet, quod articulatam vocem, Deus ipse hominibus est largitus, id non sine causa factum esse, Onesicrates autoritate Homeri testari voluisse, perhibetur. Facta enim Dei immortalis, tum & laudes illius canere, pium esse & hominem præcipuè decere innuit. Quem finem saltem unicum si homo, qui Christo nomen suum dedit, perpenderit, fieri non potest, quin is conjecturâ assequatur, quod Musica, in vero usu, prægestus sit vitæ cœlestis. Persuasum etiam pleriq; habent, proborum hominum animos, post mortem ad originem musicæ dulcedinis, hoc est ad cœlum reverti, & ibi perpetua frui beatitudine: quin ideo in hac vita Musicis sacris animum oblectari sapientiores existimant, quod è cœlo veniens in corpus hoc, musicæ memoriam repetat, quam antea jam in cœlo degustârat. Nonnè homines omnes ita jucundis cantibus deliniuntur, ut nullum sit tam immane, tam asperum, tam effertum pectus, quod non oblectamentis hujus scientiæ capiatur. Neq; sanè mens nostra quicquam præstantius optare potest, quam ut his corporeis vinculis soluta, & cœlestibus illis animis tandem associatâ,  
cum

29  
cum eis sempiternâ & ineffabili musicæ suavitate  
perfruarur. Cum itaq; Musica semper divina quæ-  
dam res sit habita: jam inde à priscis quoq; illis tem-  
poribus perpetuò rebus sacris adhiberi solita est, &  
nulla omnino sacrificia, nullæ supplicationes, nullæ  
solenniores preces sine cantu factæ fuerunt. Hinc à  
sanctissimo Rege Davide præcipitur, ut psalterio,  
citharâ, tubâ, tympano, fidibus, organo Deum laudemus,  
cantu musicâq; celebremus: hinc etiam nostra  
religio passim in templis omnibus, & vocibus & in-  
strumentis personat. Quæ res profectò declarat,  
omnium gentium consensu, Musicam artem præ-  
stantissimam, antiquissimam & sanctissimam sem-  
per fuisse existimatam: & qui eâ non delectarentur,  
rudes & imperitos haberi solitos: unde & Græcorum  
proverbium originem duxit; Indoctos à Musis  
atq; Gratijs abesse. Hæc & alia innumerabilia,  
quemlibet ingenuum, ad hanc artem discendam,  
excolendam, amplectendam & exercendam ultrò  
excitabunt. Sed negas forte utilem esse Musicam?  
Ego vero, auditores, non dubito affirmare, nullius  
linguam posse efferre hujus artis utilitates, si Sacro-  
rum atq; aliorum Scriptorum insignes gravesq; &  
piæ sententiæ harmonicè explicentur. Nam simul-  
atq; Musices beneficio, res divinæ & profanæ ligato  
carmine comprehenduntur, & eâ ratione memoriæ  
perpetuæ consecrantur, animi cordaq; moderatione  
aliquâ ita temperantur, ut in rerum divinarum se-  
riam considerationem, cultumq; illarum sint pro-  
pensa, eâq; ipsa, tum & eorundem affectus, si opus  
fuerit, vel delectentur, vel si videantur in malitiam  
deflexuri, compefcantur, vel turpes sedentur, aut  
omnino

omnino reprimantur: vel contra ita exuscitentur, ut quæ divina sunt, quæq; ad virtutem pertinent, graviter excolantur, & tota in ipsa sint intenta: & deniq; oblectamento honesto, gaudia excitentur, curæ propellantur, balneumq; diaboli (ut vocari solet) Melancholia ac diabolicæ tentationes fugentur. Quemadmodum enim motus corporum cœlestium omniumq; rerum naturalium, suam habet dulcissimam harmoniam, quod & Dorilaus testatus est, mundum affirmans nihil aliud esse, quam Musicum divinitatis instrumentum, quo illi concordantes in cœlo globi dulcissimos emittant sonos, quos aures nostræ, multis de causis, capere non possunt: sed tamen cum animus ex hoc tenebroso domicilio in illam clarissimam atq; æternam domum commigrabit: tum cœlestis illius Harmoniæ mirificâ dulcedine perfruemur. Quemadmodum, inquam, mundus constat suo concentu, quo mirificè homo, nisi male audiat, recreatur: ita musica divinam quandam harmoniam edere potest, quâ hominum animi flectuntur. Cum igitur Dei donum sit & pietatis proxima; indigna homine ingenuo mihi videtur res committi, & quidem Deo, artis hujus primo fonti, summam ingratitude probari existimo, si non cognoscendo excolatur, excolendo augeatur, aucta propagetur.

Quis quæso hujus artis utilitates fatis enarrare poterit? Hac arte præstabit, qui tristes erigere, qui lætos deterrere, qui desperatos confirmare, qui superbos frangere, qui iracundos mitigare velit: per hanc homines Deum laudant, se exhilarant, consolantur, & præcepta ipsius summâ cum animi alacritate

21  
tate atq; lætitia exequantur: per hanc ut Deum ti-  
meant, ut patrem vereantur, ut creatorem cele-  
brent, ut redemptorem colant, huic deniq; Deo  
Triuno & ter optimo maximo pro maximis in nos  
donis gratiam agant, eum solum adorent, & in rebus  
adverfis invocent, incitantur. Per hanc Orpheus,  
non solum rudes & agrestes hominum mentes fle-  
xit, verum etiam ad se traxit, feras, pecudes, aves,  
sylvas, montes, saxa, & nihil non cantu fidibusq;  
commovit, uti Horatius inquit: Sylvestres homines  
facere interpretesq; Deorum, cædibus & victu foedo  
deterruit Orpheus &c. Quod si fabulis quædam  
autoritas est, Centum luminibus cinctum caput  
Argus habebat, quæ tamen omnia, unius fistulæ  
modulamine sopita sunt & occlusa. Hac arte Mu-  
sæus, Linus, Orlandus, Meilandsus & alij hoc nostro  
tempore in omnium Doctorum ore & oculis haben-  
tur & dignis honoribus extolluntur: hac arte dia-  
bolum pellicæ fugari, ubicunq; verbum Dei rite  
sonat, & studium pietatis rectè excolitur, ipsa docet  
experientia. Durus enim ille spiritus, qui author est  
perturbationis & dejectionis animi, repellitur, ubi  
musica exercetur, nec hæret, ubi cor in spiritu læ-  
tum est; Sicut & Antonius Eremita dixit; cruciari  
eum hostem gladio & lætitia spirituali piorum. Et  
hoc abunde nos docet historia Saulis i. Samuel: 16.  
qui à malo spiritu liberabatur, quoties David citharâ  
ludabat. Nec dubium est, quin crescant & augean-  
tur in nobis dona spiritualia, pijs & dulcibus cantile-  
nis, sicut de Elifæo scriptum est, eum Musicâ ad pro-  
phetandum excitatum fuisse. Vnde D. Paulus Eph: 5.  
B motibus

motibus à spiritu sancto excitatis, annumerat etiam  
celebrationem nominis Dei, quæ fit pijs ac dulcibus  
cantilenis. Et consentaneum est, fugato spiritu tri-  
stitiæ, Angelos bonos, qui sunt administratorij spiri-  
tus, emissi ad serviendum illis, qui sunt electi ad vi-  
tam æternam, invitari ac retineri à pijs, quoties ver-  
bum Dei musicis numeris comprehensum, concin-  
unt. Augustinus in libris confessionum fatetur, se  
Musica harmoniã sub initium suæ conversionis  
adeò commotum fuisse, ut ex devotione sæpe la-  
chrymas inter canendum, largiter profuderit.  
Idemq; Ambrosius lib. 9. confess. annotavit, se  
Musica sub Arrianorum persecutione animum  
suum erexisse, & vehementer confirmasse. Hæc ars  
ornamentum est maximum in convivio teste Sy-  
racide. Quid multa? tanto semper in honore ac pre-  
tio fuit habita, ut nemo paulò doctior atq; ingenio-  
rior unquam fuerit, quin ei plurimam operam im-  
pendere voluerit, & præstantes Musicos ita, quasi  
divinos quosdam & multum supra se positos homi-  
nes, suspexerit. Non autem tantum proceribus &  
scholasticis, sed etiam omnibus & sexibus & ætati-  
bus opportuna atq; accommoda est: hac infantes in  
cunis adhuc vagientes oblectati, nutricum dulci  
murmure sopiuntur; hac pueri cum æqualibus can-  
tillantes, frequenter utuntur; hac juvenes atq; ætate  
florentes, maximè capiuntur; hac senes reliquis jam  
deservescensibus voluptatibus, naturæ dulci quo-  
dam instinctu, delectantur. Nulla deniq; natio est,  
nulla gens, nullus ordo, qui non artificiosã canendi  
ratione moveatur. Qui tanta & tam suavi utilitate  
non

27

non percelluntur, faxis duriores, quæ olim ab Orpheo mota sunt, videntur. Et ut rem brevibus comprehendam, quid lætitiâ afficit hominem? Musica. Quid templum? quid scholas? Musica. Quid igitur homini melius? quid præstantius? quid optabilius? quid honestius quam Musica? Quis ergo Musicam non suspiciat? quis instrumentum illud & animi & corporis, nobis à Deo datum, non amet? non exosculetur? non amplectatur. Porro Musica ob suavitatem cognata est Poëtica, arti nobilissimæ ac planè divinæ. Quemadmodum enim Poëta certis legibus & temporibus syllabas ac dictiones conjungit, easq; molliter pronunciat: sic Musicus in certa tempora includit harmoniam, ac juxta eam suavissimè modulatur. Hinc Musarum, aves à Græcis Poëtæ vocantur, eò quod lusciniarum in morem suaviter canant sua Poëmata, quibus Musæ dicuntur præfidere. Quare & frequenter eas in Poëmatibus suis invocant & omnem eis suavitatem acceptam ferunt. Vnde is qui sine magno labore versus laudabiles & suaves facit, apertas Musarum januas habere prædicatur: ut penè soli Poëtæ verè Musici suavissimi possint appellari. Hinc etiam ad delectationem varia Musici exercitij genera sunt excogitata: Hinc illud Musicæ genus, quod instrumentis ex hominis ingenio atq; industria efficitur. Instrumenta Musica ad oblectationem excogitata, alia naturalia sunt, alia artificiosa. Naturalia dicuntur, quibus vox humana suavi quadam harmoniâ regitur, & per artem Musicam dulci modulatione conformatur; ut pulmones, guttur, lingua, palatum, dentes & labra;

B 2

quæ

quæ, si benè conveniunt, ipsius naturæ dono sonoram atq; suavem vocem efficiunt; Vnde Musica Harmonica, quæ vocem regit, & numerum, & certam soni per tempora dimensionem habet, incredibilem gratiam obtinet. Sed ne justo sim prolixior in re omnibus cognita, vela orationis contraham, & plurimis omisissis hoc tantum addam, quod hæc ars maximam habeat cognationem cum suavissimâ Concordiâ, firmissimo vinculo societatis humanæ. Quemadmodum enim Concordiâ animi hominum suaviter inter se coeunt: Ita hac arte voces mutuo cum magnâ suavitate sibi respondent, ut nihil maneat ἀφανον aut κατέφανον.

Quis quæso jam est tam rudis, tam stupidus, tam mentis ac rationis expers, qui non intelligat, videat, sentiat, Musicam esse rem præstantissimam? quis tam impudens, quis tam stultus, tam à mente sua deturbatus, qui hanc posthabeat? nemo profectò opinor, nisi qui tenebras lucem, turpitudinem honestatem, inscitiam & ruditatem sapientiam, deformitatem, pulcritudinem, album deniq; nigrum dicere, conetur. Detestatione itaq; digni Cyclopes, qui potius hinnitu equorum, quam carmine Musico delectantur, quorum olim non pauci extiterunt, & etiamnum hodie in vita communi passim reperiuntur, qui eximiam hanc disciplinam non modo aspernari solent, verum etiam ad Garamantas & Indos relegare non reformidant. Adeò enim obtusas habent aures, ut suavissimos sonos aut melodias audire nequeant, imo adeo imbecillum vel potius nullum habent iudicium, ut de elegantissimâ harmoniarum

27

niarum compositione, judicare, haudquaquam  
possint. Neq; obstat, quod in contemptum nefariâ  
hominum malitiâ & abusu turpi deducta sit, quò  
enim magis contemnitur, eò magis ab interitu eam  
vindicaremus? In lasciviæ servitium (proh dolor)  
longius recedere coacta est, quam fas est. Verum  
quæ corrigi nequeunt celerrimè, ad meliorem fru-  
gem paulatim sensimve reduci posse speremus: dum-  
modo interim rei ipsi in suæ naturæ bonitate nihil  
decedat. At dicat aliquis, artem ipsam non ejus  
commendationem animos delectare? Sed is sciat,  
tum demum animos afficere Musicam, cum quis in-  
telligit ejus suavitatem, honestatem & commoda.  
Sed quid causæ notissimæ diutius immoror? Quo  
elogio digni sint Musices contemptores non ego  
sed Ludovicus vives in Dialogis suavissimè & face-  
tè indicat. Cuculus & Philomela, inquit, eodem,  
cantant tempore, verno scilicet, ab Aprili medio ad  
Majum exactum, aut eo circiter. Hæ duæ aves in  
contentionem venerunt de suavitare concentus,  
quæ situs est iudex: & quia de sono erat certamen,  
aptissimus visus est ad eam cognitionem asinus, qui  
præter cæteras animantes, grandes haberet auricu-  
las. Asinus repudiâtâ lusciniâ, cujus se harmoniam  
negaret intelligere, victoriam cuculo adjudicavit.  
Philomela ad hominem appellavit, quem ubi videt,  
agit statim causam suam, canit diligenter, ut se illi  
approbet ad vindicandam injuriam ab asino accep-  
ptam. Hinc liquet, quod contemptores Musicæ  
non hominis sed asini appellatione digni æstimen-  
tur. O egregium animal, cui omnes Musicæ flagella-  
tores egregiè comparantur. Cum itaq; res, quas  
Mus-



15  
Musica continet, omni laude & honore sint dignæ,  
eccui dubium erit, quod studium hoc sit Magni-  
faciendum? ecquis tam ab omni pietate alienus.  
tamq; ab omni in Deum amore remotus, qui Mu-  
sicam cæterarum disciplinarum ut reginam ac do-  
minam negabit. Nos autem, quorum animi Dei  
amore & numine perfusi, Musicam amemus, disca-  
mus, amplectamur, ei faveamus, huic studeamus,  
huic nosmetipsos addicamus. O vitæ Musica dux! O  
vitæ delectatio atq; naturæ recreatio! ô virtutis  
indagatrix, vitiorum expultrix, curarum liberatrix,  
affectuum moderatrix, quam misera & calamitosa  
sine te esset. hominum, vita! tu animos nostros  
gaudio exples. Quod si quis suorum studiorum,  
felices optat progressus, & si quis vitam expetit,  
jucundam, te exosculetur, te pascatur, te perfruatur  
tuo studio, ô Musica, nihil utilius, nihil fructuosius;  
tuâ lectione nihil dulcius, nihil suavius, nihil amœ-  
nius. Hæc, Auditores, de artis Musices præstantiâ,  
pro ratione virium mearum, in medium afferre,  
volui, quæ ut æqui boniq; consulatis, amanter peto.


Faxit Deus ter optimus, omnis boni in natura  
fons & origo, ut una cum deposito verbi sui cœle-  
stis, & artis Musicæ, uti & reliquarum artium & di-  
sciplinarum, usum retineamus verum, simplicem &  
incontaminatum: & ipse regat ac doceat nos spiritu  
suo sancto, ut quisq; in suâ vocatione & officio, ea  
studeamus, dicamus, faciamus, quæ cedant ad nomi-  
nis divini gloriam, Ecclesiæ, scholarum, & proximi  
ædificationem; cui vero Deo nostram Ecclesiam,  
Scholam, Rempubicam, & me ipsum ardentibus  
gemitibus etiam atq; etiam commendo.

D I X I



AD FRANCISCVM PRÆTORIVM  
Erasmi Piperi Dannebergensis, Scholæ  
patriæ Rectoris, carmen


**E**T teneras juvenum meso modulamine voces,  
Inq, vicem formare animos, quid gratia cantus  
Et Musæ valeant, est utile jungere dulci,  
Et SPARTAM, ceu vult sapientum calculus, ornat:  
CVrre VIAM fœLIX VerVs SIC CaLCV-  
LVs eXtat.



PIETAS, MVSICA NOSTER  
amor.

Prima Iuventuti Est Tantum Ad discenda Sacrarum  
R erum cognitio, quæ caret interitV.  
Optima res pietas, cujus sequitur pia gressus  
M usica, quæ digna est temper honore coll.  
Ante igitur reliquas hanc artem discito, donec  
R Es finiT, altisonanS, suadeO, carmen ama.

Ert. Cop.



AD FR ANSISCV M P R A E T O R I V M

Historiæ Pipæri Thurogenensis, Scholæ  
Patriæ Rostogien. carmen.

Et tenentur iuramentum in seipso modaliter  
Et iudicium iuramentum in seipso modaliter  
Et iudicium iuramentum in seipso modaliter  
Et iudicium iuramentum in seipso modaliter  
Et iudicium iuramentum in seipso modaliter  
Et iudicium iuramentum in seipso modaliter  
Et iudicium iuramentum in seipso modaliter  
Et iudicium iuramentum in seipso modaliter  
Et iudicium iuramentum in seipso modaliter  
Et iudicium iuramentum in seipso modaliter

PIETAS, MNISIC & WOSTER

AVOY.

Primo laudamus FR JANON Adhibenda Sacramm  
R. etiam cognito, que cura iuravit.  
Optimus res pietas, cuius sequitur pia gratias  
M. illa, que digna est imperet honore coll.  
Sunt ista res istius hanc autem dicit, dicit  
R. Est illa, adhibenda, ista deo, carmen ama.


Est. Co.





non percelluntur, saxis duriores, quæ  
phea mota sunt, videntur. Et ut rem  
prehendam, quid lætitiâ afficit homin  
Quid templum? quid scholas? Musica  
homini melius? quid præstantius? qu  
quid honestius quam Musica? Quis e  
non suspiciat? quis instrumentum illu  
corporis, nobis à Deo datum, non am  
sculetur? non amplectatur. Porro Mu  
tatem cognata est Poëtica, arti nobiliss  
divinæ. Quemadmodum enim Poëta  
& temporibus syllabas ac dictiones co  
molliter pronunciat: sic Musicus in c  
includit harmoniam, ac juxta eam suav  
latur. Hinc Musarum, aves à G  
vocantur, eò quod lusciniarum in mo  
canant sua Poëmata, quibus Musæ d  
fidere. Quare & frequenter eas in Po  
invocant & omnem eis suavitatem  
runt. Vnde is qui sine magno labore  
biles & suaves facit, apertas Musarum  
prædicatur: ut penè soli Poëtæ verè M  
mi possint appellari. Hinc etiam ad  
varia Musici exercitij genera sunt ex  
illud Musicæ genus, quod instrument  
ingenio atq; industria efficitur. Inst  
fica ad oblectationem excogitata, alia  
aliâ artificiosa. Naturalia dicuntur  
humana suavi quadam harmoniâ r  
artem Musicam dulci modulatione co  
pulmones, guttur, lingua, palatum, d

B 2



27